Fratri frater
S. D.

Ex quo à vobis abij, non abijt à me oculorum dysoptia; quoquò me me verto comitem habeo molestam istam caliginem quae usq; adhaeret sine ullo vel certè perexiguo lucis incremento. Per has tenebras meditationi quam lectioni applicor intentius, ne simul et in miserijs et in ocio diem transigere videar. Hinc arreptâ occasione luctuosi obitus magni istius Cognominis tui, animo cum turbato tum languido Naeniae Deae litandum opportunè censui; itaq; paucis admodum horis qualemcunq; hunc Threnum satis feliciter exsudavi. Tibi vero transmittendum ~~[illegible]~~ curo quo magis de excudendo eo apud Patrem sedulo instare velis. Inter nugas Poëticas quas quidem hactenus emisimus si ullae scriptoris manum istae Typographi praelum, meo quidem judicio, meruerint. Neq; enim vel Magnatum vel ipsius Principis lectioni subducendas existimo. Satis Ille durus et ἄμουσος rerum poeticarum Censor, et tamen ~~[illegible]~~ domestici maeroris commemoratio vel propius ingenti animum afficiet, vel ineptè mihi blandior. De impensis Typographicis non est quod Patrem moretur; exiguae enim illae prae honoris lucro quod mihi ab his polliceor. Sedulitati tuae caetera committo; imprimis mando, si est ut excudantur, fiat id charactere, quo Musica ista solent, Italico augustiore, solent ij conducere aliquantum ad rei majestatem.

Lagenulam Comitis Egmondi iam pridem exhausi; si est ut aliam comparare possis quaeso quamprimum perferendam cures, unà cum folijs istis, quorum nomen scire vehementer cupio, ut de recentibus procurandis mandare alicui commodius possim.

Vale. Lugd. Bat. CIƆIƆCXVII.

Ne legat quisquam hos versus, nisi excusos.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 44, nr. 23
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/27